



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Caput VII. De tempore & loco, aliisque necessariis ad Missæ sacrificium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

CAPUT VII.

De Tempore, & loco, aliisque necessariis ad Missæ Sacrificium.

Quæst. I. QUANAM horâ potest Missa celebrari?

Conc. Pro-
vinc. I. tit.
*Quæ pertinent
ad celebratio-
nem,*

Resp. Juxta sacros Canones, Missæ nec ante auroram, nec post meridiem, nisi ex causa jure permessa, celebrentur, ut ait S. Carolus, nisi die Nativitatis Domini, quia hac nocte annunciatus fuit Pastoribus ab Angelo adventus ejusdem Jesu-Christi Domini nostri, ut habetur in Can. Noctæ sanctæ. De Consecr. dist. I.

Et expressè legitur in Rubrica Missalis 15, Missa privata, saltem post Matutinum & Laudes, quacumque horâ ab aurora usque ad meridiem dici potest.

Hoc autem explicat D. Thomas, dum ait: Dicendum quòd communiter loquendo Missa debet dici in die, & non in nocte; quia hoc Sacramentum ad tempus gratia pertinet, quod per diem significatur Rom. 13. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Dies autem judicatur non solum ab ortu solis, sed ex quo incipiunt orituri solis signa manifestari per aliquam aëris illustrationem.

Ratio convenientiæ hujus sanctæ consuetudinis habetur in Bulla 22. Pauli III. quæ incipit in Eminentissimi in qua sic legitur: Quòdquo indulto celebrandi seu celebrare faciendi ante diem, parcè utantur. Quia cum Altaris Ministerio immoletur Dominus noster Jesus-Christus Dei Filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce.

De Sacrificio Missæ. Cap. VII. 263

Quæst. 2. Est-ne peccatum celebrare Missam, non recitato prius Matutino cum Laudibus?

Resp. Cùm in Rubricis Missalis expressè præcipiatur, tribus in locis, ut Missa saltem post Matutinum & Laudes dicatur, idque conforme sit consuetudini semper in Ecclesia observatæ, videtur esse peccatum, eam transgredi absque rationabili causa; imò ex Divo Antonino, *Missæ non debet dici ab eo qui non dixit Matutinum, licet possit audiri, aliàs dicendo esset mortale, quia contra consuetudinem generalem Ecclesiæ.* S. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 4.

Quæst. 3. Missa potest-ne celebrari extra Ecclesiam, vel Oratorium ad cultum Dei dedicatum?

Resp. Ut ait Felix Papa relatus in Canone: *Consecrationem Ecclesiarum, & Missarum celebrationem non alibi quàm in sacratis Domini locis, absque magna necessitate, fieri debere liquet omnibus, quibus sunt nota veteris & novi Testamenti præcepta.* Can. Consecrationem. De Consecr. dist. 1.

Et Concilium Tridentinum monet Episcopos: *Neve patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium à secularibus aut regularibus quibuscumque peragi.* Conc. Trident. sess. 22. Decretum de observandis & evitandis in celebrat. Missæ.

Nullus Sacerdos, inquit Concilium Mediolanense 1. quemadmodum à Tridentina Synodo statutum est, in privatis adibus, & omninò extra Ecclesiam, & Oratoria, qua divine tantum cultui dicata, & à locorum Episcopis designata ac visitata sint, Missam celebret.

Quæst. 4. In quam Ecclesiæ parte esse deberent, seu adstare Laïci, dum Missa celebratur?

Resp. Sacri Canones determinaverant locum in quo adstare deberent Laïci, dum Missa celebratur; optandum esset ut Episcopi cogèrent Laïcos illorum Decreta observare. Synodus Romæ habita sub Eugenio II. & Leone IV.

Can. Sacerdotum. De Consecr. dist. 2.

relata in Canone, ait: *Sacerdotum, aliorumque Clericorum Ecclesiis servientium honores à Laïcorum discretè apparere convenit. Quamobrem nulli Laïcorum liceat in eo loco ubi Sacerdotes reliquiverint Clerici consistunt, quòd Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere, ut liberè ac honorificè possint sacra Officia exercere.*

Et Concilium Turonense relatum in Canone ait: *Vt Laïci, secus Altare quo sancta Mystera celebrantur, inter Clericos, tam ad Vigilias, quàm ad Missas stare penitus non praesumant; sed pars illa qua à Cancellis versus Altare dividitur, Choris tantum psallentium pateant Clericorum.*

Cap. 1. De vi-
te & honestate
Clericorum.

Quæst. 5. Licet-ne aliquando Missam celebrare extra loca Deo dicata?

Can. Sicut. De Consecr. dist. 1.

Resp. Felix Papa relatus in Canone, huic quæstioni clarè sic respondet: *Sicut non aliis quàm sacriati Domino Sacerdotes debent Missas cantare, nec sacrificia super Altare offerre; sic nec in aliis quàm Domino sacratis locis, id est, in tabernaculis, divinis precibus à Pontificibus dedicatis, Missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas. Satius ergo est Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate; quoniam necessitas legem non habet. Vnde scriptum est: Vide-ne offeras Holocausta tua in omni loco quem videris, sed in omni loco quem elegerit Dominus tuus.*

Quæst. 6.

De Sacrificio Missæ. Cap. VII. 265

Quæst. 6. In quibusnam casibus licet celebrare in locis Deo non consecratis?

Resp. Illi casus referuntur in Canone in quo sic legitur: *Concedimus etiam, ut si Ecclesia fuerint incensa & combusta, in Capellis cum tabula consecrata Missas interim celebrari permittimus, donec Ecclesia ipsa restaurari queant; in itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentoriis, si tabula Altaris consecrata, ceteraque Ministeria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, Missarum solemnias celebrari concedimus; aliter omninò interdiciamus.*

Can. Concedimus etiam. De Consecr. dist. 1.

Quæst. 7. Quisnam potest concedere ut celebretur Missa in Capellis domesticis?

Resp. Certum est, Episcopos id posse concedere, ut patet ex Canone, in quo sic legitur: *Missarum solemnias non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse presiderit celebranda esse censemus. Non tamen, ut ait D. Thomas, sine Altari portatili per Episcopum consecrato, & omnibus aliis ad Sacrificium necessariis.*

Can. Missarum. De Consecr. dist. 1.

S. Tho. 3. p. q. 13. art. 3. ad 2.

Statuit autem S. Carolus in Concilio Mediolanensi 1. *Oratoriorum autem adificationem, aut usum, ne facile, sed magna de causâ permittant iidem Episcopi.*

Tit. Quæ pertinent ad celebr. Missar.

Quæst. 8. Quid observari debet ab Episcopis priusquam facultatem concedant Missam celebrandi in Capellis domesticis?

Resp. Ex Divo Carolo ibidem: *In eis autem designandis, vel probandis hæc servant: ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus Domini, vel familia frequentius versentur, sed commodo & honesto loco, à cubiculis, tricliniis, & ab aula separato, ad templi formam & regulam propius accedant; nec ita angusta sint, ut qui Missam audierint, ad*

ostium vel fenestram stare cogantur ; aut denique ibi sacris interesse , ubi promiscuè profanum aliquod exerceatur ; quod fieri omninò prohibemus. Cui autem id permissum fuerit , is eo rariùs utatur : ne distracti homines illa commoditate , Ecclesiam Dei minùs frequentent ; quod exemplo etiam noceat aliis.

Quest. 9. Cujusnam magnitudinis , & quales esse debent lapides consecrati ?

Resp. Ex Rubricis Missalis , de præparatione Altaris & Ornamentorum ejus ; debent esse sufficientis magnitudinis , ut in iis pes Calicis , & Hostia consecranda possit collocari.

A&A Mediol.
lib. 1. tit. De
Lapide Altari-
um portat.

S. Antoninus
lib. 3. tit. 13.
§. 4.

S. Carolus ait : Quod Lapis longè uncias 20. latè sexdecim pateat , præter capsæ dimensionem , cui insertus est.

Quare S. Antoninus ait : Debet cavere qui celebrat , quòd sit tanta latitudo , & longitudo lapidis in capsula , quòd in ea possit capi pes Calicis , & Hostia consecranda , vel quòd in conficiendo cum manibus Panem , vel Calicem super lapidem teneat , ut sic super lapidem conficiat , uti præscribitur in Rubricis Missalis.

Quest. 10. Quid requiritur ad hoc ut lapis consecratus , conseatur amittere consecrationem ?

Resp. Si Altare motum fuerit , aut lapis ille solummodò suprà positus , qui sigillum continet , confractus , aut etiam diminutus , debet denuò consecrari , ut habetur in Can. Ad hæc. De Consecr. Ecclesiæ. Sicut etiam si lapis ita diminutus esset ita ut non posset commode supra illum consecrari.

Quest. 11. Quando nam Altare fixum , conseatur amisisse consecrationem ?

De Sacrificio Missæ. Cap. VII. 267

Resp. Altare in quo tabula cui consecrationis benedictio Pontificali Ministerio adhibetur, si mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari. Ut dicitur in Can. Quod in dubiis. Ibidem. Amittit etiam consecrationem, quando mutatur ab uno loco in alium, sicut dicitur in Canone: Si motum fuerit Altare, denuò consecratur.

Quod tamen intelligi debet eo modo quo explicat S. Carolus, dum ait: Cùm verò Altare consecratum transferri contigerit; quòd ut ne iterum consecrari opus sit, ea transferendi ratio adhiberi poterit, ut primò illud totum asseribus tabulisque ligneis rectè aptèque conclusum, è loco ita moveatur accuratè, ut stipes à solo Ecclesia convulsus, ne minimum quidem ab Altaris mensa disjungatur, sed totus affixus ei inhæreat, ne consecratio violetur.

Quest. 12. Quot modis Ecclesia potest profanari, ita ut egeat reconciliari?

Resp. Quatuor in casibus profanatur Ecclesia, & indiget reconciliari, ut in ea possint divina celebrari Mystera. Primus casus est, cùm in Ecclesia commissum est aliquod homicidium, aut multum sanguinis effusum ut habetur in Canone: Respondemus, inquit summus Pontifex, quòd manente Ecclesia, & Altari ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam, quando homicidia contingunt, vel vulnera inferuntur. Ut autem habetur ibidem Can. Aqua. Aquam per Episcopum benedictam Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus: per Sacerdotes simplices hoc fieri prohibentes.

Attamen, ut notavit S. Antoninus: Ecclesia non violatur ex levi effusione sanguinis; ut si

Can. Si motum. De Consecr. dist. 1.

Acta Mediol. P. 4. lib. 1. tit. De Lapide Altarium portatium.

Can. Proposuit. De Consecr. Ecclesie.

S. Antonin. 3. p. tit. 12. cap. 6. §. 4.

sanguis casu de naribus emittatur, & si quis ungue aliquantulum excoriet, & sanguinem emittat. Quod si ex lapide cadente ex edificio Ecclesia aliquis moriatur, vel ex fatuitate furia quis se occidat, non est necessaria reconciliatio; quia non est per contentionem vel malam voluntatem facta. Item si ex vulnere extra Ecclesiam accepto, in Ecclesiam fugiens moriatur, non violatur Ecclesia, quia non accepit ibi causam mortis. Secus si in Ecclesia vulneretur, & extra moriatur, quia tunc violatur.

Secundus casus violationis est, propter adulterium & qualemcumque seminis emissionem voluntariè procuratam, sive cum aliis sive per se solum. Extra de adulter. C. Significasti. De Consecr. dist. 1. Can. Ecclesiis. Etiam per actum conjugalem, ut si vir cognoscat uxorem in Ecclesia: Ex pollutione autem que accidit in sompis, non polluitur, vel violatur. Sed nota quando vitia hæc in Ecclesia commissa, sunt occulta, ut dicit Guillelmus, & Hostiensis in sum. non indiget reconciliatione.

Tertius casus est, si excommunicatus, est ibi sepultus. De Consecr. dist. 1. Can. Ecclesiam. Et extra eodem capite. Consultuisti.

Quartus casus est, si Ecclesia ab Episcopo publicè excommunicato consecrata fuerit. Nam, ut dicit Hostiensis, si Corpus defuncti Ecclesiam polluit, multò magis cum consecrationis officium peragitur per eorum os & manus qui excommunicationi subjacent.

Quest. 13. Quotnam in casibus debet Ecclesia iterùm consecrari?

3. p. tit. 12.
cap. 6. §. 8.

Resp. Ex Divo Antonino: Tres sunt casus in quibus Ecclesia consecrata debet iterùm con-

De Sacrificio Missæ. Cap. VII. 269

secrari. Primus est, si Ecclesia combusta fuerit, ita quod parietes sint combusti, vel diruti, vel notaliter decrustati, in toto, vel in majori parte. De Consecr. dist. 1. Can. Ecclesiis. Secus si totum tectum solum combustum fuerit, ut in cap. Ligneis. De Consecr. Ecclesiæ.

Secundus est, si tota Ecclesia, vel major pars destructa vel diruta est: Secus est si solum tectum destructum fuerit vel disruptum. Si verò parietes successivè fuerint reparati, eadem Ecclesia intelligitur; & ideo sufficit si tantum reconcilietur cum aqua exorcizata, & cum solemnitate Missæ. Secus, si primò tota destructa, etiamsi eisdem lapidibus reparata, consecranda est enim. Can. De Fabrica. De Consecr. dist. 1.

Tertius casus est, quando dubitatur, utrum fuerit consecrata, nec apparet aliqua probatio. Can. Solemnitates. De Consecr. dist. 1.

Quæst. 14. Quisnam potest reconciliare Ecclesiam, quæ non fuerat consecrata sed solum benedicta, cum contingit eam profanari?

Resp. Simplex Sacerdos potest eam reconciliare, ut ait Gregorius nonus: Si Ecclesia, inquit; non consecrata, cujuscumque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinùs exorcizata lavetur, ne divina laudis organa suspendantur; est tamen, quàm citiùs fieri poterit, consecranda. Can. Si Ecclesia. De Consecr. Ecclesiæ, vel Altaris.

Glossa ibidem verbo Lavetur, ait: Sed per quem debet lavari? Credo, quòd per simplicem Sacerdotem possit lavari, quia si intellexisset Papa, quòd per Episcopum deberet lavari, illud dixisset, sicut dixit in proximo capite præcedenti: cum in utroque capite scri-

bat eidem, & quia dicitur aqua exorcizata la-
vetur, quae fit per simplicem Sacerdotem, &
non cum aqua benedicta, cum vino & ci-
nere, cum qua reconciliatur Ecclesia conse-
crata

Quest. 15. Ex quam materia debent esse
Calices?

De Prepar.
Sacerdotis
celebraturi,

Resp. Ut habetur in Rubricis Missalis: *Ca-
lix debet esse vel aureus vel argenteus, aut
saltem habere cupam argenteam intus inau-
ratam, simul cum patena itidem inaurata, ab
Episcopo consecratus.*

Quest. 16. Quando nam Calix amittit con-
secrationem?

S. Antoninus.
3. p. tit. 13.
cap. 6. §. 5.

Resp. Juxta S. Antoninum. *Si scyphus Ca-
licis à pede ex toto separatus est, licet fractus
non sit, ut putà quia junctura tornatilis,
consecratione indiget. Hæc Petrus de Palude.
Item secundum Archidiaconum, si Calix ar-
genteus consecratus deauratus postea, quia
aliam superficiem habet, & consecratio fit in
superficie, indiget consecratione. Idem dici po-
test de Calice consecrato, cum pes separatur
à cupa.*

Fortassis, dum adest antiqua consuetudo
utendi his Calicibus tornatilibus, quorum pes
à cupa separatur, ut passim fit à Missionariis
in India, in Anglia, & alibi: dici potest ob
talem consuetudinem à Superioribus Eccle-
siasticis cognitam & non improbatam, hanc
consecrationem non esse denuò faciendam, li-
cèt quotidie hæc separatio fiat; maxime quia
nulla adest lex positiva expressè contraria
huic usui.

Quest. 17. Ornamenta, quibus utimur ad
Missam celebrandam debent-ne necessariò esse
benedicta?

Resp. Ex S. Antonino ibidem: *Specialiter*

De Sacrificio Missæ. Cap. VII. 271

ista sex requiruntur ad celebrandam Missam ; scilicet stola , Manipulum , Alba , Amictus , Casula , id est , Planeta : ista enim benedicuntur & sacrantur. Vnde videntur esse de necessitate præcepti : non sic de camisia que non benedicitur. Videtur quòd de longo Manipulo liceat facere stolam , & è converso de brevi stola , Manipulum , vel Cingulum , quia omnia hæc verâ benedictione consecrantur.

Quest. 18. Quandoam Ornamenta quibus utantur Sacerdotes in Altari , amittunt benedictionem ?

Resp. Ut ait S. Antoninus ibidem : Cum Casula est duplicata , cum possit esse simpla , super quamlibet partem fit benedictio ; unde in celebrando verti potest ex utraque parte : & si una pars amoveatur ab alia , remanet benedicta , & potest in ea celebrari. Et similiter de dupla stola. Item quando vestimenta reparantur propter paupertatem , videtur distinguendum : quia aut tanta pars amota fuit , quòd sine illa non diceretur , vel celebraretur , ut tota manica vel pars superior : & tunc debet esse benedicta. Si autem modica particula , cujus defectus nec benedictionem impediret , nec celebrationem , tunc licet celebrare.

Sic restaurari potest Cingulum , antequam omninò fractum sit , nec amisit benedictionem , quam tamen amisisset , si restauraretur post scissionem , quia eo amplius uti non poterant.

Utile erit hîc advertere , quòd licet Ornamenta non amiserint benedictionem , nihilominus aliquando ita vilia & sordida sunt , ut non possint in tremendo Mysterio adhiberi sine magna indecentia : videtur quòd Sacerdotes quibus similia Ornamenta porriguntur de-

berent in spiritu lenitatis, ut ait Apostolus, repræsentare Sacristis, aut aliis quibus cura commissa est, ut huic malo remedium afferrent.

Cardinalis
Bellarmin.
lib. 2. de Ge-
mitu Colum-
bæ, cap. 5.

Quod amarè deplorat Cardinalis Bellarminus his verbis: *Alicubi vasa sacra & vestes, quibus Mystera celebrantur, vilia & sordida inveniuntur, indigna prorsus qua ad tremenda Mystera adhibeantur. At fortè qui hæc adhibent Pauperes sunt? Id quidem fieri potest; sed si pretiosa non possunt, saltem munda & nitida procurent. Fontibus lacrymarum prosequendi sunt, qui exteriori turpitudine & sordibus, animi sui impietatem, sordesque testantur.*

Quæst. 19. Ornamenta Ecclesiæ cum amplius ob vetustatem, aut aliàs inservire nequeant, converti-ne possunt in usus profanos?

Can. Altaris.
De Consecr.
dist. 1.

Resp. Constat ex Canone, quod non licet: *Altaris palla (id est, ut ait Glossa vestimenta Altaris) si fuerint vetustate consumpta incendio dentur, quia non licet ea qua in sacratio fuerint, malè tractari: sed incendio universa traduntur. Cineres quoque eorum in Baptisterium inferantur, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.*

Quæst. 20. Potest-ne una eademque die duplex Missa celebrari?

Can Sufficit.
De Consecr.
dist. 1.

Resp. Non licet, juxta Decretum Alexandri II. relatum in Canone, qui ait: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere; & valdè felix est, qui unam dignè celebrare potest.*

Et summus Pontifex Honoratus III. relatus

De Sacrificio Missæ. Cap. VII. 273

in Canone, ait: *Cum cuilibet Sacerdoti quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat: Nam & valde felix est, qui celebrat dignè unam.*

Cap. Terfere-
rent. De Ce-
lebr. Missar.

Ecclesia tamen ab hac regula generali excepit diem Nativitatis Domini, in quo die licitum est Sacerdoti ter Missam celebrare, ut præscribitur in jure Canonico, in quo sic habetur. *Respondemus, quòd excepto die Nativitatis Dominica, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodò celebrare.*

Cap. Consta-
luti. De Ce-
lebr. Missar.

Et S. Carolus in Concilio Mediolanensi s. id expressè & absolutè prohibet his verbis: *Gravia pericula, offensiones, atque adeo sæpe injurias sanctissimo Missæ Sacrificio fieri compertum est, quòd quidem Sacerdotes non semel tantum, sed pluries in die illud offerant: quòd ne imposterum fiat, præter quam salutari illo die Dominica Nativitatis, quo unusquisque Sacerdos non sine magna Mysteriorum significatione ter celebrare debet; Decretò hujus auctoritate vetitum sit, ne ob ullam necessariam causam, neque etiam ob Parochialis alteriusve Ecclesiæ egestatem, neque ob Sacerdotum penuriam, nec verò ob locorum distantiam, Episcopus cuiquam Sacerdoti pluries in die divinum illud Missæ Sacrificium offerendi facultatem det aut permittat.*

Conc. Me-
diol. s. tit.
Que ad divi-
na officia per-
tinent.

Et in Can. *Sufficit. De Consecr. dist. 1.* sic habetur. *Qui verò pro pecuniis aut adulationibus secularium una die præsumunt plures facere Missas, non existimo evadere damnationem.* Ait summus Pontifex Alexander II.

Hic autem advertendum est quòd die Nativitatis Domini in duabus primis Missis, non

sumitur ablutio ; si enim per inadvertentiam, aut aliàs sumeretur, non posset illa die amplius Missa celebrari, nisi fortè Sacrificium remaneret imperfectum per mortem aut maximam Sacerdotis alicujus imbecillitatem post consecrationem ; in quo casu, ut supra diximus, si alius non occurreret, Sacerdos etiam non jejunus posset perficere Sacrificium, licèt eadem die Missam celebrasset.

Can. Ex parte. De Celeb. M. Har.

Ut enim dicitur in Canone, *Semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acciperit Eucharistia Sacramentum, nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne si fortè vinum perfusionis acciperet, celebrationem impediret.*

Quaest. 21. Possunt-ne dari aliqui alii casus in quibus Sacerdos possit duas Missas eadem die celebrare ?

Resp. Illud rarò admodum fieri potest, & nisi necessitate aliqua urgenti & improvisà cogente, talis Missæ duplicatio in praxi fieri non debet, idque eò magis vitandum est, quod res adeo nunc inusitata magnam admirationis, & scandali occasionem in populo præberet. Attamen, si, in aliquo casu extraordinario nulla reperiretur Hostia consecrata in quadam Parochia, & aliundè haberi non posset ad deferendum sanctissimum Viaticum infirmo in extremis constituto : tunc, juxta mentem sancti Raymundi, posset Sacerdos qui jam celebravit, aliam Missam dicere : *Potest*, inquit sanctus Raymundus, *cantare duas in casibus sequentibus, si necesse fuerit propter necessitatem peregrinorum, hospitem commentium, & infirmorum.* Et ita si in die Dominica aut festiva, concurrente magna populi turba, nullus alius reperiri posset Sacerdos, quia scilicet Parochus aut alius infirmitate impeditur : tunc

S. Raymund. in summa. lib. 7. tit. de sacramentis iterandis. §. 23.

De Sacrificio Missæ. Cap. VII. 275

etiam, ut devotioni tot Fidelium satisfieri posset, secunda Missa celebrari posset ab eo qui ablutionem non sumpsisset.

Idem dicendum est, si Episcopus in magna Sacerdotum penuria, aliquem in duabus Parochiis constitueret: tunc, juxta Canonem, duas Missas qualibet Dominica celebrare posset in his duabus Parochiis suæ curæ in necessitate commissis: *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis: & hoc quidem in hac urbe servandum; caterùm in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum, indulgeatur.*

Can. Clericus.
21. quest. 19

